Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

est habitum induere officio idoneum habere? Non illa utique minima comparare, per quam possit eiusmodi gratiae officium in usum habere. Oportet autem non in solo pontificali ornatu vestitum, et cum aromatici fumi obnubilatione iuxta dominicum praeceptum incedere, qui vult ad interiora velaminis penetrare, ut utique congressionis suae hora tanta caelestium desideriorum exaltatione, et quasi aromatici fumi exaestuatione efferveat, quatenus in despectum veniat, et omnino quasi ex nichilo reputetur, quicquid de interioris hominis ornatu placere potest. Forte autem idem est Moysen turbam ad pedem montis relinquere, et Aaron ante ingressum tabernaculi commune habitum deponere, idem autem Moysen cum senioribus Israel montem ascendere, et Aaron cum pontificali ornatu interiora tabernaculi intrare. Nec forte aliud et aliud est illum senioribus in ascensu montis relictis cum solo Iosue verticem montis apprehendere, et istum cum aromatico incenso in sancta sanctorum properare. Et idem nichilominus fit illum se in nubila, istum se inter velum ingerere. Ut hoc solum inter utrumque actum quantum ad mysticam tradicionem differat, quod unus ex sola divina vocatione, alter ex propria deliberatione ad secretum illud divinae revelationis colloquium subintrabat.

Capitula quarte partis.

Quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus.

Quibus modis soleat omnis contemplatio contingere: mentis videlicet dilatatione, mentis sublevatione, mentis alienatione.

De mentis alienatione quibus modis soleat accrescere.

De mentis sublevatione quibus soleat gradibus assurgere.

Quod triplici ex causa fieri soleat humanae mentis excessus.

Quod primus excedendi modus surgat ex magnitudine devotionis.

Quod primus excedendi modus quandoque fiat ex sola ferventis desiderii aestuatione.

Quod primus excedendi modus quandoque fiat tam ex aestuantis devotione quam ex adiuncta divina revelatione.

Quod secundus excedendi modus fieri soleat revelatione ex magnitudine admirationis.

Quod secundus excedendi modus quandoque ex sola admiratione incipit, et in ferventissimum devotionis desiderium desinit.

Quod secundus excedendi modus quandoque a sola admiratione inchoat, et in eodem tenore perseverat.

Quod in secundo excedendi modo quandoque divina revelatio nostrae meditationi occurrit.

Quod in secundo excedendi modo divina revelatio quandoque et nostram meditationem praevenit.

Quod tertius excedendi modus fieri soleat ex magnitudine iocunditatis.

Quod quilibet mentis excessus humanae industriae vel meriti modum excedit.

Quod in tertio maxime excedendi modo totum ex divino pendet beneficio.

Qui ad hunc tertium eiusmodi gratiae gradum profecit, unde in id ipsum adiuvari possit.

Qui maxime valere soleat ad innovationem eiusmodi gratiae excessus.

Quibus gradibus excrescat humanae mentis excessus.

Incipit liber quartus de contemplatione.

Quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus. Capitulum primum.